

res habeo litteras tuas, equidem gratulor. Neque verò pluribus hortandus mihi es; neque qua te via pervenire illuc oporteat, accuratius es docendus. Habes enim quæ id mea vice faciat, illam methodum, quam ad gubernanda Nostrorum studia olim distaveram: quam si ducem adhibeas, ne tu litteris istius generis nostris ac præceptis carere poteris. Quicquid autem in specimen ad me miseris, quod esse perbreve è te nostrum utriusque sit (Nam neque te temporis in describendo placet jacturam facere; & ego quò breviora erunt, quæ ad me mittes, facilius, accuratiusque recognoscam) id ego perlibenter videbo. Nam nemo vivit hodie, qui aut voluntate quam ego, majore sit erga te, aut profectus in his litteris tui cupidior sit: aut ejus ipsius vehementiore spem, expectationemque ceperit. quæ ne nos aliquando fallat, cum est tibi omni studio laborandum: tum me quoque pro virili parte juvare te, nitique convenit. Vale mi frater, ac meo nomine Patres fratresque nostros saluta.

## EPISTOLA LXXI.

**N**ISI bene noti invicem essemus, succensere te mihi, me apud te diligentius excusare par esset; quòd nullas ad hanc diem litteras, ne tuis quidem aliquot acceptis, ad te scripsim. Verùm tarditati huic facile veniam dabis, neque cum de animo, ac voluntate, certò scias, de hujus qualicumque significatione tritari voles. Ego me jamdudum in ære tuo esse video, nec ad nomen respondisse. Sed profectò tam multa me officio isti prævertere oportuit, ut de die in diem protrudenda illius recordatio fuerit. Ac quod ad te modò perbreve hanc epistolam exarem, victus pudore feci, ut de necessario tempore particulam aliquam suffurarer, quam tibi imputare possem, ne pleno, summòque mecum jure contenderes. Venio ad te, quem passus velis in quæ studia jampridem ingressus es, in iis cursum tenere video, ac mirificè gratulor. Omnino quod superest curricula hujus (Nam propè te jam metas spectare puto) in Græcis consumendum tibi censeo: ut quàm maximam illius linguæ copiam in annos consequentes repositam habeas. Tameñ non multum vacui tibi temporis ab scenico apparatus, & choragio reliquum fore provideo: quod te propediem occupatum tenebit. Sed enitere quantum poteris, ut tibi ipse non desis, & ut temporis illius, sic quasi ex naufragio reliquias colligas. Plurimum interest, bene paratum ab illo commeatu in Theologicum te mare committere. Vale.

## EPISTOLA LXXII.

Joanni Bollando Societatis Jesu, Antuerpian.

**M**IROR quid tibi nescio quo fasciculo velis, quem allatum ex Hispania, & à veredario receptum à me esse, postremis litteris scripsisti. Equidem ex Hispania nihil à quoquam accepi: neque quid istud rei sit prorsus intelligo. Enitar tamen, & si qua re potero, tibi non deero. De officio nominis Jesu rem confeci, ac tria exempla misi. Cujusmodi autem sit istud nescio: neque enim hæcenus videram. Edita sunt nuperimè Samuelis Petiti Critica quedam Miscellanea: quæ nisi ad vos perlata crederem, aut si ea cupere te cognoscerem, eadem operâ misissem. Expectabo quid super hac re significes. Gratum est quod de remissa illis persecutione subjicis. Utinam ex integro conquiescat; ac tam litteris, quàm Catholicæ religioni, sua pax & auctoritas constet.

Scripsit ad me nuperimè N. de duobus liberis mercatoris Antuerpiensis: de quibus, quia dudum eos non videram, nihil tum certi potui rescribere. Nunc quid agant, & quo in statu res illorum opera mea, & consilio constituta sint, melius ex illorum litteris, quas se datus esse dixerunt, quàm ex meis, eorum parentes intelligunt.

Cum ad me litteras dabis, pretium integris litteris inscribere, quod tabellariis representari solet. Nam ipsimet enorme scribant, & exigunt. Ac, si me audis, per

amicos potissimum mittes, quorum frequens ultro citroque profectio est. Ego me sacris & precibus tuis enixè commendo. Lutet. Parif. vii. Calend. Maias cidecxxx.

## EPISTOLA LXXIII.

Joanni Bollando Societatis Jesu, Antuerpian.

**D**E rana veltræ nondum audiveram. neque me verò ad omnes omnium strepitus commoveri attinet. Sic enim brevi *εφημερίαν* in me totam concitavero. Ita facti sunt plerique, ut id etiam gloriæ sibi esse ducant, aliis negotium facere, vicissim ut habeant ipsi, & in aliquo esse numero videantur: quorum si latratu contempleris, plus tibi quietis, illis molestiæ pepereris. In horum grege Hispanus ille haberi debuit, cui in Uranologio nostro nuper occurrimus. Sed ejus tamen cur nonnulla istic ratio ducta sit, quarti illius Operis libri Præfatio docebit. *ΕΙ ΔΕ ΠΡΟΣ ΤΟ ΕΞΙΟΝ ΛΟΓΟΣ* coaxaverit *ὁ ἐλεος* vester, *ἡμῶν μὲν ἡμῶν* statim ac videre potero, de quo Cramosium rogavimus. Delirium vestrum nuper strenuè uli sumus, adversus imperiti Grammatici proterviam, qui in Solinianis commentariis illum sibi veluti scopum proposuerat conviciorum, ac maledictorum omnium; quem, uti à nobis edoctus est, deinceps in aliis insectandis moderatiorem, ac sui minus amantem confido fore. De Theodoro Studita nihil est quòd multum labores. Habet omnes, exceptis paucissimis, orationes illius Simondus noster, neque mihi ad ista animum adjicere otium est in præsentem. De Dionysio Arcopagita memini me ad Rosweydam aliàs scribere, neque sententiam muto. Vale mi Pater, ac pro me Deum precare. Lutetia Parif. xiii. Calend. Decemb. cidecxxx.

## EPISTOLA LXXIV.

Joanni Bollando Societatis Jesu, Antuerpian.

**S**ERTUS postremis tuis litteris respondeo, quòd tum, cum eas accepi, novum librum sub prælo adhuc habebam, quem meis litteris comitem adjungere cupiebam. Hunc ego Rationarium temporum inscripti: in quem sacras omnes, & profanas historias congesti, Chronologicis munitas rationibus, & instructas; nihil ut *ἀλόγως* & *ἀμαρτυρίως* vel à me dicatur; vel sciri ab lectoribus putetur. Quod in Turfellini Epitome necesse est accidere. Itaque nihilo plus illa, quàm index aliquis, vel summorum rerum catalogus, historiarum studiosos adjuvat. Hoc igitur munusculum, & *ἔξω* à nobis accipies pro scitis illis imaginibus, quas ad me misisti. Reliqua, quæ erant in epistola tua, sedulo curavi: de quibus jam te certiorum factum esse confido. Id enim in se Cramosius receperat: qui & Rationarium ad te nostrum misisse se dicit. Vale. Lutetia Parifiorum vii. Cal. Mart. 1633.

## EPISTOLA LXXV.

Joanni Bollando Societatis Jesu, Antuerpian.

**N**OLO putes me, deonerandi mei gratiâ, nescio quid de pecuniola vestra fecisse postremis meis litteris; tamquam eam à me curationem abjudicare volerim. Ita enim suspicari te ex iis, quas ad se dederas, mihi Talbotius noster proximè significavit. Ego verò quidquid ea de re scripsi, feci ideo, quòd jamdudum otiosam illam habere; neque, ut solebas, libros eâ comparari tibi amplius peteres. Quare oblitum illius esse credideram. Nunc, postquam secus rem habere didici, nolo ea de causa quemquam adhibere alterum; quòd ne molesta mihi administratio ista sit, vereri te dicas. Nam non est: nec, si esset, non & hanc, & hac multò graviores etiam, tuâ causâ perferre cuperem. Pergam igitur, uti cœperam; nisi fortè aliter tuâ interesse

tereisse judicabis. Rationarium nostrum non injucundum fuisse vobis, admodum gaudeo. Magnis itidem hic, & in reliqua Gallia, studiis hominum exceptum est. Quare prima jam editio propè est exhausta: cum non minus mille & quingentis vènerit: ut jam de secunda cogitemus. Queretano, ac Talbotio litteras tuas dedi. Libellum de Vita Sancti illius, quem à me petisti, mandavi Cramosio nostro, mihi ut diligenter conquereret. Eum simul accepero ad te mittam. Quod ad illas Cenomanorum Antiquitates attinet, ab Joanne Moreau perscriptas, nondum ex sunt editæ: sed in schedis illas legerat, quisquis eas citavit. Vale, mi Pater, ac me sacris & precibus tuis commendatum habe. Bucherio à me salutem: cujus Cyclum, simul existabit, vide-re cupio. Synesium denò typis commissum, ac luculentis accessionibus illustriorum reddidit, tibi offero. Multa in Notas retuli, quæ ad Ecclesiasticas antiquitates pertinent, quorum non ingratarum vobis lectionem confido fore. Lutetia Parifiorum 111. Eid. Ap. cidecxxxiii.

## EPISTOLA LXXVI.

Joanni Bollando Societatis Jesu, Antuerpian.

**Q**UAS ad me litteras misisti, Colonia datas à Kinckio, iis quam-primum potui rescripsi; ac te precor, uti has ipsas Coloniam referendas cures; nisi aliâ id viâ Cramosius noster, cui illas tradidi, fortè perferat. Optabat Rationarium nostrum meo permisso illic edere: de quo me prius ab eo monitum esse, quàm sumptus istos faceret, non tam meâ, quàm illius causâ gaudeo. Nos enim alteram editionem ante menses aliquot antevertimus; quæ propediem existet. Hoc eum latere nolui. Nam multò prior illa erit accuratior, & uberior. Accepi jamdudum à Mirzò tabulam Itinerariam: Bucherii Cyclum Victorinum hæcenus non vidi; quem tamen proflare mercalem apud vos audio. Eum velim mihi comparare, & ad Cramosium mittas, meo inscriptum nomine. Ego quidquid insumpseris, statim redhibebo. Simondus te resalutat, ac felicem eum, qui inflat, annum vicissim apprecatur: quod ego, juxta atque ille, facio; meque tuis sacris ac precibus commendo. Lut. Parif. iv. Cal. Jan. cidecxxxiiii.

## EPISTOLA LXXVII.

Joanni Bollando Societatis Jesu, Antuerpian.

**L**ITTERAS tuas accepi cum munusculo; de quibus maximum habeo tibi gratiam. Marcellus ille, cui, tamquam hic esset, inscriptus erat fasciculus, jamdudum hinc abiit: estque modò Catalani. Itaque, quoniam succidaneum ibi nomen erat meum, resignavi fasciculum, & quò quæque mittebatur epistola, eò singulas allegavi. Simondus eodem, quo ego, jure tibi gratias agit. Queretano, ad quem scripsisti, litteras ad te dedit; quas cum his nostris accipies. Plurimum me tuis sacrificiis ac precibus commendatum esse cupio. Lut. Parif. 17. Cal. Febr. 1633.

## EPISTOLA LXXVIII.

Joanni Bollando Societatis Jesu, Antuerpian.

**M**IROR ad vos nondum pervenisse Synesium nostrum; de quo cum typographum, cui id dedisse negotii, percontarer, ille se jamdudum misisse dixit. Nolim eamdem esse fortunam Rationarii nostri; cujus exemplariz mitto duo: alterum tibi, Alberto Mirzò alterum. Hujus est editio nova prorsus, & multis partibus auctior, in qua quid mutatum sit, quibusque de causis, rationem reddidi in Præfatione nostra. Bucherii Doctrina Temporum, quam is ad me misit, accepi, ad eumque scripsi. Multa in eo libro sunt, de quibus aliter atque ille, sentio. Nam

pleraque, quæ illic attigit, à me petraçtata fuerant in libris de Doctrina Temporum, & in Animadversionibus ad Epiphanium Tertullianum à se recognitum nuper hic publicavit Rigaltius: quem si nondum habes, itaque jubes, ære illo, quod habeo penes me, comparabo, ad teque mittam. Vossii liber de historia Pelagianorum, quem ante annos aliquot legi, reperiri hac in urbe non potest. Hic si apud vos est; velim quoquo pretio redemptum ad me mittas. Vale, mi Pater, ac pro me communem Dominum precare. Lut. Parif. Maii 13. 1634.

## EPISTOLA LXXIX.

Joanni Bollando Societatis Jesu, Antuerpian.

**S**CRIPSIT ad me nuper V. Cl. Manardus Andegavenfis, & quæ ab illo tuâ causâ postuleram, cumulatissimè perfecit. Nam & vitam S. Girardi Monachi, velut in specimen misit, & indicium præterea vitarum quas 12. voluminibus comprehensas habet; ut ex illis feligas, quas exscribi cupias. Huic enim significavi, uti ne sumptibus parceret, atque ut quidquid pecunie opus esset, id à Procuratore Fisenfis Collegii peteret. Accipies igitur schedas istas, & si quid ex illo Vitarum Catalogo describi tibi velis, ad me scribes. Petrasanctium nostrum hac iter habentem, uti rogaveras, quàm potui humanissimè suscipi; eique, quantum tuâ causâ vellem, indicare studui. De sex illis exemplaribus Exercitorum, quæ mihi dono dedisti, habeo gratiam. Vellem & libri de Gestis Pelagianorum copiam alicunde posses habere, eumque nullo tuo incommodo ad me mitteres. Nam nullum hic venalem invenire possum. Id eo scribo, non ut cuiquam molestus sim; sed ut, si fortè in eum librum incidas, emere ne graveris; ego quidquid erit pretii, rependi curabo. Rationarii nostri tertia jam adornatur editio, interim dum Colonienfes novam instituant, quam in Francofurtensi Catalogo profitentur. Ego me tuis sacrificiis ac precibus enixè commendo. Lut. Parif. 6. Jan. 1635.

## EPISTOLA LXXX.

Joanni Bollando Societatis Jesu, Antuerpian.

**Q**UESTUS est nuper apud me Berterius, hujus urbis negotiator librarius, is qui ante biennium Antuerpian profectus est, & te meo nomine salutavit, cum ibi esset, haud modicam se pecuniam cuidam viduæ numerasse, hortante, ac propè fidejuben-te, ut pro illa libros ad se aliquos mitteret. Ex eo verò tempore nihil se ab illa vel pactarum mercium, vel responsum elicere potuisse: tamen sapius litteras ad eam miserit, quas certò sciat ab us, quibus tradiderat, in manum illi datas fuisse. Quæ res profectò valde me movet, quòd fidem illic & auctoritatem tuam, quâ solâ adductus, cum muliere ista transigisse se dicit, periclitari videam. Quocirca plurimum te rogo, ut hoc negotium, quàm celerrimè, & quàm minimo strepitu confici cures, ac feminam istam juris officij sui commoneas; atque ut pacificè potiùs, & salvâ concordia decidi rem velit, quàm ad lites, ac tricas forenses deduci. De cetero scire te velim Opus nostrum Theologicum jam propè ad exitum pervenisse; ac propediem me ad vos esse missurum. De eo verò, quòd jampridem inchoasti, certi aliquid expecto. Diu enim est, quòd inter nos mutæ literæ cessarunt. Vale, mi Pater, & communem pro me Dominum precare. Lut. Parif. Jun. 13. 1643.

## EPISTOLA LXXXI.

Joanni Bollando Societatis Jesu, Antuerpian.

**A**CCEPI nuper admodum libros duos, quos ad me misisti à prælo recentes, sine ullis tamen litteris.



ris. Præclarum opus, & dignum eruditione tua, & expectatione Catholici orbis, ac spe illa, quam de eo pii ac docti omnes olim conceperant. Equidem totum illud jam studio, ac voluntate devoravi; legamque, ubi otium ero nactus, attentè. Nunc perfunctum me gravi, ac diuturna operâ, aliâ super aliis occupationibus exceperunt, de quibus scribam ad te propediem. Interim mitto vicissim Tomos tres Theologicorum dogmatum nostrorum. In his multa contra Calvinianam hæresim, quam Jansenius novissimè ab inferis excitavit: maximè de Libero arbitrio. Spero hunc laborem nostrum non ingratum fore Catholicis omnibus; utilem quidem esse cupio. De eo quid vestrates Jansenio nimium additè judicaturi sint, sciam si certior me facere dignaberis: quod à te enixè postulo, mæque precibus tuis & sacrificiis tuis commendo. Vale. Scripsi hæc noctu properans 12. Novemb. 1643.

## EPISTOLA LXXXII.

Joanni Bollandi Societatis Jesu, Antuerpiam.

**D**ITURNUM inter nos litterarum hucusque silentium fuit: credo, quòd novi interim nihil accidit, de quo scribendum uterque putaremus. Id quia mihi contigit modò, prior ecce brevi sermone silentia rumpo: ac salutem imprimis tibi dico plurimam, tum hoc enixè abs te postulo, ut adolescentem illum, à quo has nostras accipies, cum ipsius merito, tum commendatione nostrâ, benignè & amanter excipias. Qui sit, quibusve de causis eam ad vos professionem instituerit: ex ipso melius intelliges. Pergratum mihi facies, si quibus poteris, officiis, quæ quidem minimè esse molestæ velim, illum tibi complectendum meâ causâ fideique sumpseris. De Vendelino nihil jam dudum audio. Quid eo factum sit, & utrum Romam iterit, quò Cardinali Bagnio condixerat, scire avelo. Precibus ac sacrificiis tuis valdè commendari cupio.

## EPISTOLA LXXXIII.

Joanni Bollandi Societatis Jesu, Antuerpiam.

**M**AGNAM habeo tibi gratiam de tam prolixo in me studio, benèque merendi voluntate, quam repetita identidem officia testantur. Vel postremum hoc quàm mihi jucundum accidit! quòd ultrò me libro illo muneralisti, quem videre, ac legere meâ plurimum interfuit. Hunc etsi nondum acceperim: tamen, quòd eum ad me missi, pro accepto jam habeo, eoque tibi nomine debitorem me esse profiteor. Sed inquire obsecro, num Rhotomagum, quò destinatus erat, pervectus fuerit. Nimis enim magna intercessisse mora videtur: nisi me aviditas mea fallit, scire cupientem quid in mala causa tuenda, contra veritatem, & Catholicam fidem, pervicacis, & contentiosi hominis industria valeat. Quem quidem auguror conviciis, ac maledictis, quorum larga est Jansenianorum natio, in me, ac Ricardum effervuisse. Quod de Opusculis Baii scribis; (Nam Fromondi, quæ perceses, offèrteque, penes me habeo) velim, si est eorum apud vos copia, mittas ad me. Jam pridem enim legere cupio: nec parum interest, à me illa non ignorari, quòd illic novæ, ac pestilentis sectæ jacta esse fundamenta, complures asserunt. Mitte autem, si id commodum est, per fidos, & amicos homines, ne in transvectione, ut sæpè evenit, interciant. Mihi nunc præ manibus est Theologicorum Dogmatum Tomus quartus, de Incarnatione; & is majori ex parte jam absolutus. Sunt & alia minuta Opuscula; quæ simul edita erunt, ad te mittam. Vale. Lutetia Parisiorum Junii 15. 1647.

## EPISTOLA LXXXIV.

Joanni Bollandi Societatis Jesu, Antuerpiam.

**A**DHUC Vincentium Lenem expectamus; nec dum de eo certi aliquid accepimus. Id adeo negligentia factum est eorum, qui illum ad me per minimè idoneos

homines miserunt. Deinceps itaque, si quid tutò ad me perferri velis, Mursio committe, qui id in farcinas inculcet, quas ad Cramosium identidem destinat. Sic enim oportere fieri, mihi Cramosius ipse signi si ite. Quod autem postremis tuis ostendebas, te libros aliquot partim Jansenianorum, partim Baii, missurum esse, si ita cuperem: respondi jam, de Jansenianis nihil oportere esse te sollicitum: penes nos enim illos omnes esse, quos in epistola tua perceses: at Baii opuscula nec vidisse me hætenus, nec eorum hic esse copiam. Quare magnopere illa legere, si fieri potest, expetam. Ubi Vincentium Lenem acceperò, experiar quid tandem hominis sit, & quantum nomini suo respondeat. Equidem, ut est Jansenianus illius nationis indoles, non puto lenem, ac civilem in me animo fore: sed asperum, truculentum; conviciorum, & inclementium dictorum oppidò liberalem. Doctor Ricardus te refalutat, itidèmq; ut ego, molestè fert, jacturam libri illius, quem magno redemptum velimus. Ego me sacrificiis ac precibus tuis apprime commendo. Vale. Lutetia Parisiorum, Junii 26. 1647.

## EPISTOLA LXXXV.

Joanni Bollandi Societatis Jesu, Antuerpiam.

**E**LENCHUM Theriacæ Vincentii Lenis, novissimè facturè opus à me vulgatum ad te mitto. In quo spero id me consecutum, quod in eo elaborando spectaveram; ut & quàm poteram brevissimè, & accurate tamen, ad ea responderem, quæ ab illo mihi objecta fuerant pro Iprensi Armacano. Sic autem cum Doctore Ricardò operam partitus sum, ut ea dumtaxat resellerem, quæ privatim ad me pertinebant: quæ verò ad illum præcipuè attingent; ea ipsi consutanda relinquerem. Quod ab eo strenuè factum esse, testis erit liber; quem opinor misisse illum tibi, paulò quidem meo crassiorum. Nam plura in Ricardum, quàm in me Theriaca continebat. Non erat sanè, quòd in tam infulto, & inficeto libro excutiendo temporis aliquanti jacturam facerem. Verum tanti fuit primum in me Jansenianæ manus impetum factum fortiter excipere; & quid à me deinceps expectare deberent, in ea prolusione specimen illis dare. Habeo jam affectum aliud Opusculum de Lege Mosæica; & gratia; in quo arcent peto factiosè illius novitatis; & multa de timore servili, & attritione, pro dogmate Catholico contra illos disputo. Quartus dogmatum meorum Theologicorum tomus propediem sub prælum mittendus est; nihil ad istam contentionem spectans: præter pauca quedam, ubi de Christi libertate agit. Sed quid illis Collectaneis factum est, quæ ad nos miseræ de historia Michaelis Baii? Plurimum intererit ea non suppressi à vobis; sed quamprimum in vulgus emitti: uti nata ad perniciem fieri; & Ecclesiæ, nationis arcana propalenat. Deum oro, uti te ope sua, & gratia perpetuò dignetur: mæque facris & precibus tuis impensius commendo. Lutetia Parisiorum Februarii 14. anno 1648.

## EPISTOLA LXXXVI.

Joanni Bollandi Societatis Jesu, Antuerpiam.

**M**ISI ad te tomos duos de Incarnatione Christi, novissimè elucubratos, & à prælo recentes, quos ut quàm primum perferendos curaret; typographo diligenter mandavi. Spero illos non inutilis, nec injucundos fore Catholicæ parti: quam in plerisque controversis capitibus adversus Lutheranos, Calvinistas, Socinianos, ceterasque peltes, ac potissimum Jansenistas illorum fratru culos, propugnare studui. Tertius decimus certè liber totus in hoc argumentum insumptus est. In quo tum Deum salvos omnes esse velle: tum verò Christum ad universorum salutem, quantum in se erat, pertinere voluisse mortis, ac perpersionis suæ merita, accuratè demonstratum est. Addita est & Dissertatio quadam contra heterodoxum, cujus exemplar separatim editum, & avulsam jam, ut opinor, à me accepisti. Plurimi hic Episcopi contra Jansenianam novitatem commoveri cœperunt, & in hujus damnationem incumbere.

cumbere. Romæ ab Inquisitoribus fidei damnatus est libellus quidam, ab ista secta nuper Gallicè scriptus & vulgatus sub hoc elogio, *Catechismus de gratia*, in quo præcipua Jansenii venena collecta sunt. Gaudeo Academicos Duacenos vexillum sustulisse contra Lovanienfes Armacanos, ac palam defensores se profiteri Catholicæ dogmatis: quòd istorum aliqui vexare instituerant. Dominum precor, ut pacatis tumultibus, & dissidiis, omnium animos, optato pacis, & concordia nexu, quàm arcuissimè inter se devinciat: & ut parum Christiana pietate progressu litteræ nostræ sum tenere cursum incipiant. Vale mi Pater; ac mei in sacrificiis precibusque tuis fac perpetuò memineris. Lutetia Parisiorum Novembris xi. 1650.

## EPISTOLA LXXXVII.

**M**AGNA pridem constansque de tua virtute, doctitudine, & propenso in litterarum cupidos studio, ad nos fama pervenerat. Auxit hanc commendatione sua, vir acerrimi iudicii, ac singularis eruditionis Annatus, Assistent societatis nostræ: qui tum illa quæ de te memoravi non semel apud me prædicavit; tum hoc adjecit, neminem in bona tuenda causa, hoc est, Catholici dogmatis contra novas sectas, auctoritate propugnanda, firmiorem te Romæ hodie vivere. Quæ res tantum in me tui excitavit amorem, ut quæ prima se mihi occasio dedisset, ea uti decreverim, ad singularem meam in te voluntatem, quòd unum poteram, litterarum aliqua significatione testandam. Hoc ut facere possem, peropportuè mihi hoc tempore accidit, cum Theologicorum Dogmatum meorum Tomus quartus prodiret in lucem. Cognovi enim de Annato nostro, priores tres, quos ante octo circiter annos elucubraverim, pergratos tibi fuisse. Quo majori spe sum incensus, non minus probatum iri tibi consequentem hunc qui est de Incarnatione, propter argumenti copiam, & ubertatem, divisus in partes duas. Accipies igitur hunc à me, pignus & obfidem voluntatis erga te meæ: ac mihi auram aliquam assilabis favoris ac paternitatis tui, quo adversus malevolorum obreccationes, quorum copiosa temporibus istis annota provenit, tutum me ac defensum esse patieris. Ego verò tibi hoc vicissim reponit, nullo in unquam loco, amplificandò honori tuo, quoad in me situm erit, deferaturum. Vale.

## EPISTOLA LXXXVIII.

Isacio Haberto Episcopo Vabrensi.

**E**XPRESSIT à me nuper novam incubationem Armacanorum insolentia: quæ scriptis & factis, Catholicam causam vexare non desinit. De factis puto jam auditum abs te, quid ab illis adversus facultatem vestram moliti sint, tribus abhinc mensibus; quæsvè turbas istic conciverint: quibus idcirco narrandis super sedendum mihi puto, quòd eorum famam in longinqua pervolasse, & ad vos usque pervenisse mihi videtur. E libellis verò, quos doctrina suæ venenis resperfos, frequentes in vulgus, eodem tempore, disseminarunt; unus ille fuit, quem mihi refutandum sumpsi, scriptus ab Abbate anonymo: in quo Tridentini Concilii mentem ac sententiam de gratia, ex Augustini doctrina, atque libris, interpretandam esse contendit. Quod quàm subdole, callidèque susceperit; non est obscurum. Non tam enim ex Augustini mente, quàm ex sua dictorum ejus expositione, Synodalia illius decreta ad hæresim suam accommodare studuit. Quod erat minimè tolerandum. Ideo resistendum illorum conatibus, & refutatis eorum consiliis intercedendum esse decrevi. Idque, libro de hoc argumento edito, pro virili parte facere sum aggressus. Quem librum, statim atque in lucem prodiret, ad te mittere destinabam. Sed moram injecti rumor quidam à Sebastiano Cramosio confirmatus mihi: te propediem in hanc urbem esse venturum. Itaque sustinui tantisper, dum aut coram, quòd optarem maximè, videre te, ac meum tibi velut adventorium munusculum offerre possem: aut certi aliquid de adventu tuo certius cognoscerem. Sed cum nihil ad-

huc explorati de eo liquidè constaret, non potui differre diutius, quin officium meum re ipsa tibi probarem, atque inter negotiosissimas, sed Dei ac proximorum amore conditas, & utilissimas occupationes tuas, illud laxamentum præberem; non injucundum, ut arbitror tibi, mihi verò cum ad observantia erga te meæ testificationem; tum ad mutuam in me tuam corroborandam & amplificandam benevolentiam, non mediocriter momentum allaturum. Ac ne tarditati meæ nimium succenseas, adjeci *meique* nescio quid, è Latino Ciceronis Græcè redditum; quòd ut in bonam partem accipias, mæque ut fecisti hætenus, amare pergas, etiam atque etiam, Præsul Illustrissime, precor.

## EPISTOLA LXXXIX.

**N**Æ tu gratus homo es, qui tam pusilla in te officia mea tanti æstimas, ut in iis commemorandis totam tuam epistolam consumpseris. Vellem dignius aliquod illius argumentum fecisses. Etsi jucundius esse mihi nullum potest: non quòd tanta esse, quanta vis, merita in te mea iudicem, aut verò videri tibi cupiam; sed quòd tantilla ex re specimen & conjecturam animi tui capio. Intellego enim, quantum sis majoribus acceptis beneficiis officiosus ac memor futurus, qui in tam parvis remunerandis tam præter modum copiosus esse voluisti. Itaque uti tuâ causâ plura velim, pluraque in dies enitar, tua me ista liberalitas admonet: sic tamquam agrum illum impendio majore, ac studio colimus, qui commissa sibi semina abundantiore frugum copia, & ubertate compestat. Fac igitur sciam, qua tibi in re, tuisque rationibus commodare possim. Nam de Leonardo nostro, cujus in Græcis operam præstò tibi esse cupis, certò potes considerare. De te enim diligenter ad eum scripsi: neque dubito, quin postulatis etiam nostris majora sponte sit sua facturum. Vale, & quòd agis, mei apud Deum memor, felix & incolumis vive.

## EPISTOLA XC.

**Q**UANTUM ex epistola tua voluptatis ceperim, ista demum æstimare poterit, qui quanti te faciam, quantumque te amem, intellexerit. Amavi autem ex quo nosse te ceppi, nitidamque tuam & ingenuam indolem, atque ad virtutum, honestarumque rerum satius excipiendos apprime factam. Quas quia colere pergis, & ad pietatis honestatisque studia, illa etiam doctrinarum, artiumque sic adjicis, pluri ut hæc tamen posteriora facias. (Ita enim te facere demonstras) valdè id me quidem delectat, atque ut perpetuò sic tu inlitatus, hortor plurimum, & obtestor. Nam quòd mirificè, ex tuo illo docendi munere, jucunditate perfundi te significas: non minus est hoc mihi, quàm tibi jucundum. Est autem hic fructus animi, non solum obedientia primum; quæ tota, hac suavitate perfunditur: sed etiam illecebra laborum ac studiorum istorum, ac vocantis & incitantis ad illa te Dei vox quadam & significatio. cui te parère, & ad ea accommodare te; uti facis, oportet. Quamobrem fac constanti & erecto animo sis; neque te difficultates istæ frangant ac dejiciant, quibus obfideri solent magnarum omnium summæque expetendarum initia rerum. Ego, si quid ad usum tuum, aut solatium conferre possum, volo id apertè palamque à me postules: nihil enim, quòd quidem in me situm erit, desiderari abs te patiar. Tu tantum cura, uti animo, corporæque valeas. P. Rectori plurimam à me salutem dico: & quòd de Theologico me opere sciscitari voluit; hoc illi meos nomine respondeo, id in cursu esse, & in dies procedere. Vale.

## EPISTOLA XCI.

**E**X voto tibi cessisse professionem hinc tuam, & cum Fixano te coelo paullatim in gratiam redire, valdè gratulor. Sed expectanda est hiems: ea stomacho tuo decretoria tempestas erit. Quæ si molestior sit, quàm ut ferri debeat; tu verò & ad me, & uti iustum te ais, ad P. Provinciale scribes. ego, quòd sum pollicitus, curabo



curabo sedulo; nec te conflictari pristinis illis incommodis patiar. Quamquam maxima sum in spe, commo-

EPISTOLA XCII.

JAMDVDM in aere tuo me esse, non solum memini, quod quis debitorum faciant: sed etiam pra me ferro, quod non solent, nisi probi & ad solvendum parati.

EPISTOLA XCIII.

NON concedam tibi, majori ut voluptati tibi fit, quam mihi, quod infequente anno futuri una sumus. Hoc enim jamdudum, quod tu ipse scis, non solum optaveram, sed efficere conatus eram: quod suavissima & amantissima Dei providentia utrique tandem ex voto tribuit; de quo immortales illi gratias ago.

EPISTOLA XCIV.

POSTREMAM litterarum tuarum, etsi aliquantulum iis indormierim, haud penitus exciderunt animo meo. Iis si minus tempestive rescribo, ignoscere debebis occupationibus nostris; & quibus tamen evigilare quamlibet longo intervallo, & expurgandi soleo; ut amicis meis, officioque satisficiam.

EPISTOLA XCV.

QUOD morbi genus sit, quo tamdiu conflictor ac maceror, peramanter ac benevole requiris. Ego, ut paucis tibi satisficiam, scire te volo varium illud esse, nec uniusmodi. Sed praecipuum in eo capitis est dolor, quod dimidium atrociter, ac pane sine intermissione, dies me nocteque pungit ac lacerat. hoc graeci medici krikezon vocant; sed hoc interest quod plerumque temporarium esse solet, nec sane perpetuum: in me, uti dixi, propemodum continuum est, & adversus remedia contumax.

EPISTOLA XCVI.

ΟΤΙ ΑΛΛΕΛΑΜΩ ΤΩ ΛΕΩΝΑΡΔΩ. Tū cū tē ἵταίρειας Ἰησοῦ, εἰς Ρωμάμαρον.

EPISTOLA XCVII.

ΦΡΑΓΚΙΣΚΩ ΤΩ ΔΟΥΦΟΥΤΩ. τῷ cū τῆς ἵταίρειας Ἰησοῦ, εἰς Ρωμάμαρον.

Ὀὕτως ἔστιν, ὡς τὴν, κτηνησὺς ἡδ' αὐτῆς. Δι' αὐτὸν ἑλπίσαντες μὴ ἀποπίδωκεν οὐδ' ἄνευ θεοῦ ἡμετέρας. Εἰς δὲ τὴν ἀρχὴν τοῦ ἐπιπέδου, οὐδὲν ἔτι καταλείβεται, ὡς ἀπομένοντος τῶν ἐπιπέδων, οὐδὲν ἔτι καταλείβεται, ὡς ἀπομένοντος τῶν ἐπιπέδων.

Ἐν τῇ Ἀσπίδι τῆς Ἰνίτης.

EPISTOLA XCVII.

ΦΡΑΓΚΙΣΚΩ ΤΩ ΔΟΥΦΟΥΤΩ. τῷ cū τῆς ἵταίρειας Ἰησοῦ, εἰς Ρωμάμαρον.

ΕΓΓΕ ὅτι καινοποιεῖσθε τὴν ψυχὴν τὴν ἐξ ἐνὸς τοῦ ἀποστόλου, καὶ ἐκ τῆς ἵταίρειας Ἰησοῦ, εἰς Ρωμάμαρον.

EPISTOLA XCVIII.

ΟΤΟΝ μὲν εἰς τὸ λόγιον ἀποδείξει, καὶ ἀποδείξει εἰς τὸν λόγον, ἡ δὲ ἐκ τῆς ἵταίρειας Ἰησοῦ, εἰς Ρωμάμαρον.

EPISTOLA XCIX.

ΔΙΑ πᾶσιν μὲν, καὶ οὐδὲν πᾶσι ἀνεπιπέδου τῆς ψυχῆς, καὶ οὐδὲν πᾶσι ἀνεπιπέδου τῆς ψυχῆς, καὶ οὐδὲν πᾶσι ἀνεπιπέδου τῆς ψυχῆς.

Ὁμοίως δ' εἰς τὸ ἐκ τῆς ἵταίρειας Ἰησοῦ, εἰς Ρωμάμαρον.

EPISTOLA C.

ΝΙΚΟΛΑΩ ΤΩ ΖΟΡΑΒΙΩ. ἰατρῷ καὶ μαθηματικῷ βασιλικῷ, εἰς Οὐραρσίαν.

ΤΗΝ σοφίαν, ὡς εἰς τὴν ἐπιπέδου ἀναγιγνώσκου μοι, ἀρτερον μὲν ἐπιπέδου ἀναγιγνώσκου μοι, ἀρτερον μὲν ἐπιπέδου ἀναγιγνώσκου μοι.

EPISTOLA CI.

ΓΑΒΡΙΗΛ ΤΩ ΚΟΣΣΑΡΤΩ. εἰς Ἀσπίδα.

ΟΤΚ ἐν αὐτῇ ἱστορίᾳ, ὡς εἰς τὴν ἐπιπέδου ἀναγιγνώσκου μοι, ἀρτερον μὲν ἐπιπέδου ἀναγιγνώσκου μοι.

EPISTOLA CII.

PERGIS de me bene mereri, & quae mea interesse putas, officio commenero. Vel illud cuiusmodi est, quod nuper significasti, furtivo nescio quo libro famam meam appeti: ad nova doctina fautoribus: quasi mutata sententiā id ego nunc impugnem, quod ante studiosè propugnaveram; nec levi quidem in re, sed



sed quæ religionis Catholicæ summam contineat? Ais ergo vulgari hoc ab hominibus istis, me in Prædeterminationis negotio, non à Catholicis tantum, sed etiam à me ipso delivisse. Non est recens illa calumnia, nec in me conflata nuper: sed vetus & rancida querela, quam sexcentis locis obtritam à me habes, & manifestè convictam. Quidnam igitur est, cujus causâ tanti ab impura illa natione clamores editi sunt? Aiunt me in sexto capite libri primi Theologicorum Dogmatum, Tomo I. ita de Prædeterminatione sensisse; ante prævisa ulla merita ad æternam salutem destinari homines, id quæ non tantum Augustino ita visum esse, sed etiam pro fidei decreto à Catholicis habitum; quod secus deinde scripsi, & sedulo docui.

Magnum illud crimen est, nec simplici penâ multandum, si tamen verum est: quod professio non est; sed insignis oscitantia est hæc illorum criminatio. Attenderent, quàm ego cautè ac subtiliter ista distinxerim; Gratiâ, & Prædeterminationem. Dixi primum universè, in iis quæ ad Gratiâ & Prædeterminationem attinent, majorem Augustini rationem, quàm ceterorum Patrum, habitam. Sed cum ad eam veni partem, quæ fide certa & Catholica esse meo iudicio deberet, ita sum locutus: Cujus, Augustini, de Gratiâ sententiam, quotquot deinde consecuti sunt Patres ac Doctores, tum verò Ecclesiæ Romanæ Præsules, Præsulumque conventus aliorum, ratam & Catholicam esse judicaverunt. Num qua hæc Prædeterminationis mentio? De Prædeterminatione verò non idem dixi; sed etiam visum est Augustino, eam sola ex Deivoluntate pendere: liberum tamen cuique esse monui, quam vellet sectam persequi; idque adeo disertè ac perspicuè docui, ut quasi solaribus radiis testatum & expressum illud reliquerim. Velut ista sunt, quæ in primo capite libri decimi, his verbis exposui. Verum non omnia, quæ in refellendis hæreticis istis ab Augustino proposita sunt, pro Catholicis immotisque decretis habentur ab iis ipsis, qui illius doctrinam commendant, Pontificibus, &c. Tum inferius paulò: Ex eo genere profundiorum questionum, quæ nihil ad negotium Gratiæ pertinent, est illa de Prædeterminatione controversia, de qua curvis, utrum volent, sequi, Romani Pontificis sententiâ illâ permittitur. Quorum igitur tanti latratus, & querelæ de istis editæ sunt ab illis? aut quis contrariæ opinioni locus, in his verbis, quæ tam certis & Catholicis præfidiis undique vallata, ac munita reliqui?

Venio jam ad illam reprehensionem Latinorum veruum, in quibus ita me locutum criminantur, ut Semipelagianorum sententiam totidem verbis amplexus videar. His maximè offenduntur:

— tamquam non gratia cunctos  
Oblata illicitat, vitiòque sit irrita nostro,  
Cui nos defecimus, non deficit illa volentes.

Sed quis non videt verba illa probo & Catholico sensu usurpari? Neque verò hæresis, quam Prosper & alii Catholici in illorum verbis subodorati sunt, hæret in vocibus præcisè sumptis: sed in iisdem, quatenus hæretico sensu ab illis usurpabantur. Filium ingentium esse qui dixerunt, facile pro hæreticis iudicati sunt: cum tamen alio sensu Filius ingentium, hoc est, increa-

tus à Catholicis passim vocatus sit, nimirum si dixerit per unicum, concipiatur. Cujus tamen discriminis nullâ ratione habitâ, complures Veterum, simpliciter Filium dixerunt & dixerunt dici veterunt: ac primum Epiphanius, differentiam esse aliquam inter utrumque, conceptis verbis adnotavit, ut in quinto libro Tomi secundi diligenter observare memini. Qui tum igitur dixerunt esse dixerunt Filium, & dixerunt, promiscuè sumptis vocibus, hæretici habiti sunt: donec postea, re diligentius perspectâ, differentia vocum in auctoritatem abiit. Lege, si quidem otium est, quæ nos accuratè de istis vocibus expendimus in libro de Trinitate. Idem & in mysterio Incarnationis, de variis vocibus dici potest; quarum observatio facilis, difficilis ac morosa commemoratio, & epistolæ modulorum superans. Hinc perspicuum est, perasque voces à Catholicis usitatas, aut contrâ suspectas iisdem, ac repudiatas, in usus transisse contrarios: ac Semipelagianos iustè à Catholicis notatos, quòd oblatam esse omnibus gratiam dicerent; sic nimirum illud intelligentes, ut suapte industria, & naturæ viribus, sine ullo supernaturali præsidio, per se niti & assentiri possent: me in Catholico hæsisse sensu, qui tam clarè, tam constanter, gratiæ adiutorium ad consensum necessarium esse, sum testatus. Sileant igitur, & molesti obtretractores gratis esse definant: ne toties iisdem calumniis repetitis, eadem sit fidei repetenda professio.

Hæc de illorum conviciis, & maledictis, habui quæ breviter tibi rescriberem. Quas enim contumelias, & probrosa, ac mordacia de me dicta passim injiciunt, ea contemptu magis videntur, quàm seriâ refutatione digna: cum facile id omnes intelligant, talibus conquestionibus hoc illos quæsisse solum, ut vel impeditum aliis rebus ac distractum, ad sese importunè verterent; vel ægrum & corpore malè habitum implicarent magis, neque conquiscere sinerent: si eum nacti essent, qui illorum importunitate moveretur. Quòd verò mihi fenectutem & ejus incommoda, tamquam divinitus insistentem penam obijciunt: faciunt illiberaliter, qui & ea dicendo majora faciunt, & communem omnibus conditionem necessariò subeundam in crimen trahant, ac contemptæ & ludibrio habitæ doctrinæ suæ supplicium id esse nominatim fingant, quod illius sectæ fautoribus, velint, nolint, inevitabile est. Nisi fortè perpetuitatem quamdam florentis avi propterea meriti adeptique dici possint: quòd communem parentem Ecclesiam Catholicam adeo fœdè contempserint, & ejus decreta nihil hodièque pergant facere, sed spernant potius, & impugnent. Ego verò in ea, quam illatam mihi divinitus obijciunt, calamitate hæere malim, atque in illa citius emori, quàm partes istas, ac dogmata, aut amplecti, aut non toto pectore detestari. Quam meam professionem, tamquam ultimam ac cyneam vocem, ita obsignatam relinquere statui: ut in ea salutem omnem, ac pietatem, quâ religiosus ad hanc diem haberi studui, verti ac contineri perpetuò velim. Vale, & postremum hoc meum de nova ista doctrina iudicium, pro certa fidei regula haberi à me, testatum omnibus, quorum interest, facere memineris. Aurelianus 8. Septembris, 1652.

I N D E X  
EPISTOLARUM.

LIBER I.  
NUNCUPATORIÆ.

|  |       |                            |       |
|--|-------|----------------------------|-------|
| EP. I. LUDOVICO XIII.                  | 298   | XI. Ludovico Borbonio.     | 305   |
| II. Henrico Borbonio Metensi Episcopo. | 299   | XII. Ludovico XIII.        | ibid. |
| III. Eidem.                            | ibid. | XIII. Petro Jannino.       | 306   |
| IV. Antonio Borbonio Comiti Moretæ.    | 300   | XIV. Carolo Bellomanorio.  | ibid. |
| V. Francisco Bralaro.                  | ibid. | XV. Ant. Seguerio.         | 307   |
| VI. Nicolao Verduno.                   | ibid. | XVI. Ludovico Caumartinio. | ibid. |
| VII. Joanni Nicolao.                   | 301   | XVII. Οὐρίδω τῷ ἱερέϊ.     | ibid. |
| VIII. Guilielmo Vario.                 | ibid. | XVIII. Τῷ αὐτῷ.            | 308   |
| IX. Francisco Card. Ruffinacaldo.      | 302   | XIX. Φιλίππῳ νεωτέρῳ.      | 309   |
| X. Gabrieli Alvaspinæo.                | 304   |                            |       |

LIBER II.  
PHILOLOGICÆ.

|                               |       |                              |       |
|-------------------------------|-------|------------------------------|-------|
| EP. I. JACOBO Mallebrancquio. | 310   | XVI. Eidem.                  | 322   |
| II. Joanni Bilho.             | 311   | XVII. Eidem.                 | ibid. |
| III. Antonio Lalouvero.       | ibid. | XVIII. Heriberto Rosweydo.   | 324   |
| IV. Eidem.                    | 312   | XIX. Eidem.                  | 325   |
| V. Petro Possino.             | 313   | XX. Eidem.                   | ibid. |
| VI. Eidem.                    | 314   | XXI. Auberto Miræo.          | ibid. |
| VII. Eidem.                   | ibid. | XXII. Petro Cruzero.         | 326   |
| VIII. Egidio Bucherio.        | 315   | XXIII. Eidem.                | ibid. |
| IX. Georgio Schonbergo.       | 316   | XXIV. Eidem.                 | 328   |
| X. Stephano Vno.              | ibid. | XXV. Josepho Maria Suarezfo. | 330   |
| XI. Arnoldo Cathio.           | 317   | XXVI. Casimiro Sarbievio.    | ibid. |
| XII. Brunoni Cognato.         | 318   | XXVII. Rolando Marefo.       | 331   |
| XIII. N.                      | ibid. | XXVIII. N.                   | 332   |
| XIV. Gottifredo Vendelino.    | 319   | XXIX. N.                     | 333   |
| XV. Eidem.                    | ibid. | XXX. Josepho de Voifin.      | ibid. |

LIBER III.  
OFFICIOSÆ.

|                                |       |                             |       |
|--------------------------------|-------|-----------------------------|-------|
| EP. I. URBANO VIII.            | 335   | XXI. Eidem.                 | ibid. |
| II. Eidem.                     | ibid. | XXII. Eidem.                | ibid. |
| III. Eidem.                    | 336   | XXIII. Eidem.               | ibid. |
| IV. Francisco Card. Barberino. | 337   | XXIV. Eidem.                | 342   |
| V. Eidem.                      | ibid. | XXV. Eidem.                 | ibid. |
| VI. Eidem.                     | ibid. | XXVI. Eidem.                | ibid. |
| VII. Eidem.                    | 338   | XXVII. Francisco Vavassori. | ibid. |
| VIII. Eidem.                   | ibid. | XXVIII. Eidem.              | 343   |
| IX. Eidem.                     | ibid. | XXIX. Eidem.                | ibid. |
| X. Eidem.                      | ibid. | XXX. Eidem.                 | ibid. |
| XI. Andrea Schotto.            | 339   | XXXI. Eidem.                | 344   |
| XII. Eidem.                    | ibid. | XXXII. Eidem.               | ibid. |
| XIII. Eidem.                   | ibid. | XXXIII. Eidem.              | ibid. |
| XIV. Eidem.                    | ibid. | XXXIV. Eidem.               | 345   |
| XV. Eidem.                     | 340   | XXXV. Eidem.                | ibid. |
| XVI. Heriberto Rosweydo.       | ibid. | XXXVI. Eidem.               | 346   |
| XVII. Eidem.                   | ibid. | XXXVII. Eidem.              | ibid. |
| XVIII. Eidem.                  | ibid. | XXXVIII. Eidem.             | ibid. |
| XIX. Eidem.                    | 341   | XXXIX. Nicolao Borbonio.    | ibid. |
| XX. Eidem.                     | ibid. | XL. Eidem.                  | 347   |